
3 1761 07351713 8

Hayneccius, Martin
Hansoframea, sive Momoscopus

PT
1737
H35H3
1581a

11[illegible]. d. 12

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/hansoframeasivem00hayn


PT
1737
H35 H3
1581a



HANSOFRAMEA: SIVE MOMOSCOPVS.

COMOEDIA NOVA.

M. Martini Hayneccij Born:



HOC AGE.

ά Θεσσαλ: δ.

ἡσυχάζειν, καὶ πράσσειν τὰ ἴδια.

Ματθαι: ιθ.

τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

LIPSIÆ,

Anno M. D. Lxxxi.

NE CVRIOSVS.

NE tua collaudes, nec ſtulta aliena rependas;
Non faciat curas non tua cura tibi:
Fungere mandatis, age propria: te ſine conſtet
Conſilium, verſat quo ſua quæq; DEO.
Ad pueros: quod agat ſui amans ſapientia cœlo
Non habet: exemplo quod FRAMEHANSA docet.

A. Siberus.

ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS, AC D D. FRIDERICO GVLIELMO ET IOHANNI, FRATT. ILLVstriss. memoriæ Principis ac Ducis Saxon. IOHANNIS GVLIELMI, &c. relictis filijs: Saxoniæ Ducibus Marchionibus Misniæ, Landgrauijs Turingiæ, &c. D D. clementissimis suis,

M. Martinus Hayneccius, S.

AVsa semel vulgi se credere mobilis auræ,
Rursus idem pelagus iam mea puppis arat.
Quæq; ita non pridem socco mediocriter vsa,
Vmbro Afróue stetit nostra Thalia pede:
En iterum gestit facili proscenia planta,
Orchestram & lepidis increpuisse modis.
Quid facis? è triuijs audes quod quilibet: inter
Nomen & obscurum vulgus inane petis.
Ecce terit passim salis hinc freta & inde carina:
Eximiam vento rara ferente viam.
Ille per Andeum fert se admirabilis æquor,
Centauro exultat per vadaq; alta sua.
Hic pontum gaudet cymba tranare Peligna,
Et rate non duras ire sequace vias.

Ille caua circùm pinu, tersi æmulus Albij,
Pacis opes lustrans, ocia, agrestis, agit.
Lasciuire alium docti iuuat ore Catulli,
Ac tentare Athesin parua Verona tuum.
Neue alios referam: sequitur quò quemlibet ardor
Mentis, & ingenij vis sua cunq; rapit.
Plena tamen genij contingit copia paucis,
Per quem victuros post nigra fata putes.
Quid? quod clamosis etiam abstinuisse theatris,
Turpe habitum (quamuis est quoq; turpe) fuit.
Vmbra tamen vatis dici obscurissima prisci,
Vix aliquis, verè qui mereatur, erit.
Ergo iacet multus tineæ putris esca libellus:
Irritus autorem destituitq; suum.
Hinc est, immeritò quòd non audimus inepti,
Scribendi miserum quos cacoethes habet.
Sic ego: singula si contrà resecuta putantem,
Instat, & inceptum Pieris vrget opus.
Aude fortis, ait, fati pertexere cursum,
Quemq; semel tribuit sors, tenuisse locum.
Degeneris timor est animi: quem turba fatigat,
Propositumq; facit deseruisse pium.
Non tam læua tibi mens, vt, quæ publica, nolis
Ire, licet vario sit pede trita, viam.
Aonij non vna soror (sic iussit Apollo)
Montis, in humanum est larga subinde genus.
Totus in addictos Pimplæis fontibus, artem

Per

Per varias formas spargit abunde chorus.
Prodigus haud confert at in vnũ cuncta: nec æqua
Distribuit multis singula iance bona.
Sit satis ergo aliquò prodire: quoad licet vsq;
Pectoris & vires exeruisse dati.
Scilicet est animum quædam exercere voluptas:
Deq; exercitio maius acumen erit.
Quod si virtutis tibi culmina summa negentur:
Non sit in extremis delituisse pudor?
Nec tibi fas vatum nomen spondere priorum:
Res est conatu grandior ista tuo.
Attamen est & forsan, vbi vel maior haberi,
Materie famam suppeditante, queas.
Quid, præter mortale decus Comœdia, & aui
Commoda proponit, graia, togata, breuis?
Quanta docet patrij maiestas, quantaq́; herilis
Imperij: fragilis quanta in amore boni.
Quanta pudicitiæ sint inter præmia honestos:
Damna superueniant, & mala quanta malis.
Omnia tu melius tanto, quanto hesperus axe
Debilius Phœbi noctifer igne micat.
Quæ per visa illi non concepere soporis,
Hæc tu dictatu cœlipotentis habes.
Tu potes autorem fandi, autoremq; nefandi,
Quæq; boni ratio, promere, quæq́; mali.
Tu, quæ virtutis non deuia norma colende:
Cur placeat vero, displiceatúe Deo.

Tu cœli ſortes, & pandere iura petendi:
Ardua quæq; ſuper ſidera recta via.
Præ quibus illa, niſi nugæ, niſi fabula, quid ſunt?
Et gerræ, & pleni futilitate logi?
Ipſa tamen cultum rebuſq; & lumina verbis,
Cum ſale præbento, candidiore, tuis.
Hinc tibi, Marte tuo ſumta argumenta niteſcant:
Lance vt in aurata poma nouella nitent.
Nec te turba pio, quamuis exercita, cœpto
Dimoueat: medio publica palma foro eſt.
Sit ſua laus, primus qui luſit comica noſtris,
Præinſtri Capni nomine clarus, auis.
Sit ſua Macropedo, quo Traiectina magiſtro
Condidicit pubes ſcenica verba loqui.
Sit reliquis: ſua ſit Schonæi hodierna Tobæo:
Et ſua Friſchlino docta Tubinga tuo.
Omnibus idem animus, templa ex Helicone Sionis
Exornare: haud vis omnibus vna fuit.
Sic interq; ſalem Plautinum, artemq; Terentij,
Fama fuit Trabeæ, Turpilioq; ſua.
Nec priſca Attilij, veteris vel gloria Næui
Facta eſt, aut Ennij, Cæcilijue minor.
Quos niſi poſt hodie Poenus ſupereſſet & Vmber,
Scena ſepulta foret, Romule, tota tua.
Occiderit facies linguæ germana latinæ,
Et forma Auſonij cotidiana ſoni.
Ergo ſeruatam ſcena ſi vindice Romam

Credi-

Credimus, incolumi gentis in vrbe toga:
Quid cessamus adhuc Latij post funus, in ipsa
Iam cuneis Latio barbarie ore loqui?
Credibile est, ista, si qua assuetudine, posse
Imbibere arctoum verba latina solum.
Hìc mihi sed, rebus qui externum commodet aptè
Sermonem nostris, autor habendus erit.
Non satis, è cumulo verbi ornamenta diserti,
Apposite ad sensum sint nisi lecta, legi.
Hei quàm difficile est, imitari exotica lingua:
Difficile ingenitum dedidicisse sonum.
Difficile Ausoniam vocem edere Teutonis ore:
Guttur & ad Latium composuisse melos.
Nec facile in calamũ veniunt, quæ digna probari:
Obrepens vicium sæpe fatigat iners.
Nec facile, in cauea quæ sint spectanda, videre:
Narrari deceat singula quoq; modo.
Artificem, socco belle, desiderat, vti:
Tyronem & quamuis accipit ille suum.
Quare age, perge Deo, cœpisti vti, perge secundo:
Altera fortuna facq; pericla tua.
Parce metu: dentis nigra vulnera parce vereri.
Improbuli, ac studium posthabuisse pium.
Fors erit, ipsa canas sacri mysteria verbi.
Atq; alio atq; alio cum numerosa pede.
Interea iuuet hæc cuneato seria circo
Ludere, sub fictis & dare vera iocis.

Qui F R A M E A M *nescit, Lutherum consulat, hortos*
Turbarit quondam Censor vt Edenios.
In tacito sapuisse sinu, docet ille, ferendo
Stulticiamq́; hominum, stulticiamq́; Dei.
Liuor abest: nec vipereo lita fabula felle
Editur, in castum vel violenta gregem.
Non nostrũ, placida sub imagine lædere quenquã:
Muneris officium sed docuisse pij.
Cuncta sub alterius personæ nomine ferri
Æquius, exponi commodiusq́; solent.
At vos heroum soboles, generosa propago,
Vimariæ Illustri stemmate creta domus:
Accipite hunc animis vatem atq́; fouete benignis:
Et date sub vestra crescere posse fide.
Non hunc fronte bona vos admisisse pigebit:
Sæpe leuis grandi fœnore opella redit.
Principis hoc virtus, monet hoc & nomen vtrunq́;
Pacificiq́; tuum, Gracificiq́; tuum,
Præstat idem sanctè recolenda memoria Patris,
Dum vestræ series posteritatis erit.
Præstat & exemplo hortator ductorq́; fideli
Augustus, subiens pro genitore vicem.
Præstitit Henrici quondam pia cura Siberi;
Additus vt teneris duxq́; comesq́; fuit.
Deniq́; præfectus iam pubescentibus annis
Brysmanus, studio perpete præstat idem.

Acci-

Accipite: & macti virtute, incumbite doctis
Litterulis, doctis eſte boniq́; viris.
Fallor? an & geminis præſagia fratribus inſunt?
Nominaq́;, vt meditans auguror, omen habent?
Non fallor: comi excipitur Comœdia dextra:
Marmoraq́; iamq́; premit lento operoſa pede.
Siſte procul truculenta Tragœdia, ſiſte cothurnũ:
Hæc pia cæde iubet Muſa vacare ſola.

KL. VIIBR.

M. D. LXXX.

Ex illuſtri Collegio ad Muldam.

Age, ſi quid agis.

Omnia rimatur Momoſcopus, omnia carpit:
Atq́ animo infenſo facta aliena notat.
Nec placet huic quicquã, niſi quod facit ipſe: ſuoq́
Arbitrio demens cuncta regenda putat.
Tecum habita, quicunq cupis bene viuere: mentẽ
Et non ſolicitet cura aliena tuam.
Viue tibi, Spartenq́ orna, quã nactus es: & qua
Par eſt, munus obi ſedulitate tuum.

M. Iacob. Furmanus.

ΔΡΑΜΑΤΟΣ
PERSONÆ.

Hanſoframea, *Plauſtrarius.*
Soſtrata, *Vxor.*
Petrus, *Apoſtolus.*
Petrona, *Anus.*
Paulus, *Apoſtolus.*
Moſes, *Legislator.*
Zachæus, *Manceps.*
Maria Magdalena, *Meretrix.*
Phidippus, *Auriga.*
Tecto, *Materiarius.*
Innocentium grex.
Puer.
Latro emendatus, *Apparitor.*
Lorarij duo.

ΥΠΟ-

ΥΠΟΘΕΣΙΣ.

Argumentum Fabulæ.

Censor nasutu', Hansoframea plaustrarius,
Furtim beata manium, in consortia
Intrat Paradisi. Ingresso conditio datur,
Nihil reprendere porro vt cogitet: omnia
Laudet, probet: rectè, an secus, nullus putet.
Ergò ille à primo conniuet: pòst vincitur
Dolore, reuorsus ad ingenium. Vnde pellitur
Loco beato. Petro, Paulo, Moyse,
Alijsq; interpretibus: quos conuellit simul.
Solum metuens gregem insontum, puerilibus
Hunc tamen obsequijs lactat: & sospes manet.

PRO.

PROLOGVS.

Postquam Poëta primæ mentem fabulæ,
Sorte appulit fati sui quadam, Almansori:
Bonisq; probari sensit: quando vni bono ,,
Placere satius ducit, quam multis malis: ,,
Alias dehinc porro statuit in medium ædere,
Itidem haud malas, neq; ad volgum non vtileis.
Id propterea hanc secundam iam dat, omnibus
Volens bene: infensus nulli: docens, monens,
Iuuans, delectans: hostis obtrectantibus:
Ne quis secus, piè quàm factum existumet.
Quod vos rogatos vult magnoperè primulum,
Quicunq; spectatum aduenistis, optumi:
Vt esse hîc neminem arbitratur improbum.
De reipsa autem hæc me voluit deinceps dicere.
Non est nouum, neq; inauditum, neq; insolens:
Etsi improbum, nefarium, detestabile:
Vt cuncta nostra suspici & probarier
Velimus, iubeamus, nimia indulgentia:
Aliorum contrà dicta, facta, nequiter
Carpamus, exagitemus, nota, incognita.
Hîc vos amanter orat, vt secum modò
Statuatis, vtram homini in partem sit tutius
Peccare? suanè probando? an alia sedulo
Culpando? annè horum vtrunq; præstando magis?
Quod si ambigitis, neq; quicquam nunc decernitis:
Ille ipse, vtut se habeat, morem sibi geri
Cupit, se amando & audiendo gnauiter
Solo: nihilq; non probando, quod probat.

Ita

Ita enim sibi decreuit indulgentior
Multo esse hodie, quam gnato mater vnico:
Et hanc potius in partem peccare, quam in alteram.
Nam sibi quid arrogare si queat boni,
Quod absq; fiat alterius incommodo & malo.
Hoc ille noster haud peccare esse autumat.
Aliena vero carpere & calumnijs
Proscindere, laudi haud ducit & gloriæ sibi.
,, *Honesta namq; amore certum est prosequi.*
,, *Sannis aliorum sponte prostant turpia.*
,, *Et argutantis est censura lubrica:*
,, *Sapiensq; ad errorem preceps sapientia est.*
Quorsum ista tandem? prodit ingenio illius,
Et opera casta, noua in theatrum fabula:
Hansoframeam idiomate è germanico
Quam nuncupauit, graculo Momoscopum.
Non antedhac viso hanc Latio, donauit is
Primus: vetustate erutam è germanica:
Studetq; vobis hanc placere: vos sibi:
Quod assequetur vostra hic audientia.
Fauete linguis, animis, oculis, auribus,
Et Hansoframeam discite, quid sibi velit:
Vt ne proinde, ac hortus ipse Paradisiis,
Hoc vos hodie theatro periclitemini.
Fauete: visa, audita, dicta singula
Probate: absit morositas censoria.
Pectus facessat, exhibens argutias.
Non res geruntur omnes è captu meo,
Tuoq;: quid tum postea? si partes mihi
Dedit Poëta actoris, ego obsequor lubens.

Et quid

Et quid vel iste, vel ille agat, dicat, bene,
Secusue, meum esse inquirere neutiquam reor.
Idipsum vos moneo, vltra ne quoq; crepidam:
Quos causa cunq; adesse spectandi iuuat.
Spectate: & Hansoframea exemplo discite,
Quæ passim in orbe terrarum fiunt, bona
Mala, iusta iniusta, humanitus diuinitus,
Ferenda, an exquirenda sint vobis prius.

ACTVS I.
SCENA I.

Petrus. Petrona, anus.

VBi ea est, cœli ianitrix, si placet Deo, sedula? Petro: Hem adsum, mi vir. Pe: Fac præsto sis, ne cui pateant fores Iambici septenarij.
Hæ temere: neu quis irrumpat profanus, vt modo
Tua iste se intro tetulit quadrigarius, senex,
Superciliosus, amarus, difficilis, imprudentia.
Petro: Da veniam, mi vir, expurgatam habe: Nam quid agerem?
Pe: Excluderes. Petro: Qui exclusum nollet? Pe: Eia, mulier vt
Loquitur? Itáne custos data, vt si quid credam tibi,
Nihil agerem, nisi si ipse præsens absens vsq; siem?
Excluderes: exclusum abigeres porrò quàm ocyssume.
Petro: Quin cessas, mi vir? actum, transactum est: & non potest,
Nisi

Nisi corrigendo in melius, nunc infectum reddier.
Pet: Commemini, & suo. Petro: & quid pollicitus.
Pet: & isthuc noui, & scio.
,, Verum res vt sequatur. Petro: fateor. Pet: pollicerier,
,, Peruolgatum est: at dictis addere fidem, hoc infrequens.
Mihi non videtur, hominem vt contuor, se retexere.
Posse, & sibi imperare. Petro: Deus meliora, mi vir. Pet: oh,
Tace: & istic serua, dum absum. Petro: seruo. Pet: ne quem admiseris
Intrò, ne ipsum quidem, dum redeo, Gabrielem archangelum.
Petro: fiet. Pet: quin abis intro? Petro: abeo. Pet: occlude seram. Petro: age, vt iubes. Pet: age.

SCENA II.

Petrus.

Iambici Octona.

NVllamné haberi in terris hominum cuiquam, & in cœlo fidem?
Nihil vetulæ impunè mulieri quicquam credi, vel mortuæ?
Nam quod primum querar? an isthac me facilitate quod sua
Prope pessum fœmina dedit? an ille quod mihi quadrigarius
Decrepitus, inhonestus, perpetuam peperit pœne infamiam?
Ego enim quoquò ieram, dum absum, ille mihi nescio quibus actus huc furiis,

Intr

Intrò ruit, ad consortium sese applicans per fas nefas
Manium beatorum: quibus interdictum tamē illi fuit:
Vetitumq́ue, vt ne vel ille accederet, vel ego intro admitterem.
Nunc me illuc scelus afflictum dedit, & anus, cui persuasit, mea.
Verum prouisum est mea & cœlituum aliorum prouidentia,
Et istiusmet assensu: esse similis si pergat sui,
Suoq́ue more in omnia inquirat, nihil rectum putans,
Nisi ipse quæ faciat, de repente vt vltro hoc exulet loco
Seq́ue ipse iure expulsum fateatur, quàm intro acceptū magis.
Quod sanè, ego ni fallor, haud longè aberit, vt fiat, diu.
Nam iam vidi stomachantem ad flumen secum, vbi aquam virgunculas
Cribris haurire, inq́ue dolia ingerere, fundo carentia,
Labore & opera, vt censet fungus, irrito animaduorterat.
Qui si nostra rē via putaret, næ ille intelligeret probè,
Quid sit, metiri humanitus cœlestia. Verum & hoc breui
Discet: si perget porrò, vt metuo, is esse, qui fuit hactenus,
Seroq́ue damno facto sapiet, quando sapiet his miser
Bonis exutus. Quod ego etsi me Christe nolim: operà tamen
A me danda est, sedulo vt obseruem, ne conetur quid secus,
Quàm oportet, & quàm sancta consuetudo fert cœlestiu

 Profe-

,, *Profecto odit notas censorias Deus: nec se & sua*
,, *Vocari patitur homuncionis ad examen & arbitrium.*
,, *Suum probari vult morem, suum ingenium: nil amplius.*
Et ne aliter quid fiat hodie ab isto, quem genius intrò malus
Subuexit, cautio pròh mea est: nisi porro audire malè velim.

SCENA III.

Paulus. Petrus.

Septenarii Iambici.

Pa: Prouiso: sed. Pet: Paulus adest: quem contrà alloqui decet.
Pe: Salueto Petre. Pet: salue Paule tu quoque plurimū.
Pa: Quid agitur? Pet: viuitur ex sententia. sed tu quorsum is?
Pa: Prodeambulatum, ad vitæ amœnitates huius, &
Cœli delicias perfruendas oppido, Petre.
Pet: Quid de nouo hospite isto, Paule, inaudistin'? Pa: ego?
De quo? Pet: de quadrigario auriga, sene: huc modo
Qui venit. Pa: Hansoframea? Pet: intelligis. Pa: nihil eximie.
Sed vnde quæso? & cuias est? namque audiui, nescio
Quæ, de eo susurrarier procul. Pet: terrenus 'st, inops
Animique consiliique: austerus, importunus: viri
Monstrum: pondus cœli terræque: sibi pestis: aliis
Cruciatus: Pa: tartari intemperiem dicis, Petre, mihi
Pet: Imo si videas, tartarum videre ipsum putes.
Quod si audias, nihil audias, nisi vomicas & tormina.
Nisi enim factus alius est, quod diffido equidem, sentias

Iurgan-

Iurgantem, conuiciantem, criminantem, vt nihil supra.
Quicquid agas, irrites: Deo inuisum & mortalibus
Iure optumo dicas: vt cui nemo fecerit satis
Vnquam: ne cœlum isthuc quidem, serenum aut nubilum.
Quid cœlum? at nec Christus ipse, seu parcens, seu puniens.
Dum parcere interea is nescius, arrodit omnia.
Pa: Et quomodo huc ergo introÿt? Pet: scibis: cum pestem humus
Euomeret: sorptum reiectaret, vt puto, tartarus,
Adest, me absente, paradisi ad ianuam: quem intro mea
Admittit anus, sane incauta & facilis muliebriter.
Pa: Quid Christus adhæc? quid ait? Pet: nihil quidem ille, vt assolet,
Asperius: viueret, haberet, frueretur commodis
Communibus: saltem vt fidem daret, nulli fore
Grauem se vnquam aut difficilem: omissurum esse iurgia,
Rixasq́ʒ, censurasq́ʒ, & si quid est eiusmodi.
Pa: Rectè igitur: & hoc tenebit, si sapiet. Quid tu amplius
Requiras? Pet: vt stet promissis vsqʒ, ac soluat fidem.
Pa: Quippini? Pet: tamen interest mea, vt ne quid designet, aut
Designatum vt repentè fiat per me palam ante, quàm
Maiores turbæ dentur: & in me cudatur faba
Pa: Age, eamus vnà: operam tibi meam dico: nisi

Tu solus mauis. Pet: eamus: vt eum commenstrem tibi,
Et facilius, si res ferat, confutemus duo.

SCENA IIII.

Hansoframea. Sostrata.

Iambici Octona. quadrati.

NIsi mens me mea fallit, non quiescent isti, vt video nunc:
Et vt subolent eorum dicta auscultanti quamuis eminus:
Neq; ad ocium dabunt sese prius, quàm duint mihi malum
Vicissim: quando se putant à me delusos nequiter.
In primis ille ianitor caluus, quem caluier
Procliue certe hercule non est: quo absente ab ædibus,
Me intro insinuaui huc clanculum. Qua pro audacia retur, mihi
Debere se odium. Id vt euadam, cautio futura est ardua.
Nam quot me curæ distrahunt? quot autem distractum coquunt?
A primo, me illud intus afflictat malè, quod titulo locũ
Hunc occupaui nõ bono. Deinde cruciat indidem,
Dum cogito mecum, & apud animum considero, perculsus, stupens,
Id quod humi fieri plerunq; memini: an cœli quoq;
,, *Id nescio: consilium vt calidum valde diuturnum haud fiet:*
,, *Postremo vim metuo, vt queam ferre, & studia aucupantium*

Me astu

Me astu singula: quibus incautum captumq́ trahant: nec id quidem
Iniuria: Quia canum turba, aiunt, leporum exitio est gregi,
Nunc si me eádem clam foras arte rursum, qua ante introij,
Subducere tentarem: hoc vereor, ne difficilior plus fuat
Multo illa exclusio mihi spontanea, quàm introitio fuit.
Ergo, quid, si foris etiamnum degere, satius foret?
Næ certe, his moribus. At enimuero locus receptui
Neq́ foris vllus amplius, ad beatitudinem qui conferat.
Quid istbuc? at periculi fortasse minus illic siet?
Vbi lerna periculorum: apage. Quin tutissimum hic esse, omnium est,
Opinor: certa si permansio sit: quæ nunc, hoi, fluctuat,
Pendentemq́ animi facit, & spei dubium angit ac metus simul.
Nam quid confidam? aut quid ille me, quod pactum est, creduim?
Meo pactum est capiti: meæ ceruici: & vita & fortunis meis.
Id propterea occidi. Etsi seruē, seruari nequeo. Excidi
Hoc cœlo, vtut sim: tota fraus est, techna, offucia, fabrica.
Facile repererint, quod suggillent: mox extemplo clamitent:
Fregisse fidem: pacto excidisse: impingant dicam Hansoframea.

 Vbi

„ *Vetulos vt difficulter cicurari canes aiunt.*
Ille me superstitem insectarier olim
Pessimus iurgijs: mortuam desiderare
Perdite: ipso ex desiderio mors vt isthunc
Consecuta, nouas ab eo hîc liteis gignat mihi.
Ferre etiam hîc nihil pote: quod modo probarat,
Dictum factum exagitat, odit, execratur.
Idq; clam hactenus omneis, quod sciam: vnica me
Arbitra: vt metuam, vt substet: neu se pessundet.
Sin' quà emanat, actum est, perijt, fuit beatus.
Mar: Sententias dicet hîc illas exuere pueriles:
Quibus humi data venia est, olim æquales inter.
Hæc vita, hic locus, mores alios requirit.
Nam Dei hîc ciues sumus, Dei incolæ, ille
Hospes, dominus, rector & pater, & omnia.
Qui tetricus hunc offendit censor, quid obstat,
„ *Quin intereat? Deus est, Pater est: non potest non*
„ *Et posse & velle benè: quamlibet videtur,*
„ *Quod facit, durum, immane, absonum, inexplicatum.*
So. Istuc ipsum ego moneo assidue quoq; maritum.
Atq; is ipsus adest. Nunc non dubium est, mihi quin
Sint parata iurgia. Mar: ego abeo, tu valeto.

SCENA II.

Hansoframea. Sostrata.

Iambici octonarij catalectici.

*V*Xorem video, nihilo alijs prudentiorem. *So:* Ehem mi
Vir. Ha: Sane vero. So: Nam quid est? Ha. Itáne pium hoc, cœloq;

Dignum?

Dignum? So. quid autem, mi vir? Ha. ſermones in publico te
Cadere. Soſt: dixin' fore? Ha: & quænam quæ abijt confabulatrix
Tua? cur abijt, me viſo? cur me non eſt præſtolata?
So. Negocium ſibi eſſe dicebat. Ha: negocium? anné
Eſt etiam in cœlo manibus negocium beatis?
So. Hau, mi vir: noli te obliuiſci, qui ſis, & vbi ſis. Ha: hem,
Soli ſumus: auceps eſt nemo, qui ſermonem arbitrari
Noſtrum queat. So: modo ſimus circumſpice. Ha: Veſtigium haud eſt
Viri: clam eſt, quod loquimur: niſi tu ſis mulier. So: quaſi non
Inter nos norimus. Ha: Sed illa cur abijt? So: negocium

Fuit. Quæ præſtolata, nihilo ſit melior: proinde
Fuerat: Vocares in crimen. Ha: tace: & me audi. So: audio, quid
Dicis. Ha: Ego poſtquam huc primum introij, ſatis me omnia putabam
Offendere æqua & iuſta: nunc nihil minus: profectò,
Diſperéam, niſi iniquius hæc multò, quàm humana video ipſis

In terris adminiſtrarier. Modò dum obambulo, ecce,
Cribris hauritur hic aqua: illic in pertuſa rurſum
Vaſa infunditur: alibi per aranearum telas colatur:
Percolata in pila tunditur: & in reticulo, arenæ
E granulis contexto, ſoli exponitur ſiccanda.

O mores, ô studia. So. quin tu hæc patere, & faciendo periculum
Iam assequere & ipse magis multo, vt putas, intricata.
Han. Vah: ludos te facere infantem, mulier, putas quadrimum.
Cedo dum, & quî potest? So: tibi ego hoc hodie nulla explicasso:
Etsi rem teneo: & vidi: & noui. Quam si præstolatus:
Spectassis ipse, & noueris. Ha. tu me adiges ad furorem
Potius, quam persuadebis. Anus es: fidem geris anilem Sed.
Quid illud? arboream ex parte alia video trabem ferenteis
Duos: quam in sublimi altè gestant transuorsum ad angiportum,
Vix vni peruium soli. So: & transuorsum illac egerunt
Tignum? Ha. mihi non sit verisimile. Iratus rapior inde,
Insaniam detestans hominum illanc, præposterosq;
Conatus. Mihi quibus animum transuorsum illi isti abripere,
Et ad impotentiam excitare. Proh, auriga quidnam
Venit? anne è luto se expediuit? an meum, quod ante
Repudiauit consilium, id vltro expetet? miror profecto.
So. Quid tu tecum autem solus? Ha. Tu vade, & domi operire.
Est quod cum isthoc agam. Peccasse me hîc, nolo mulier sciat.
Quis

Quis alter ille autem? qui visum obtundit pestis? hebetat
Aciem mihi: en me Christe, materiarius 'st: vt mala te
Crux perduxit, frutex: huc concessero auscultatum.

SCENA III.

Phidippus, auriga. Tecto, materiarius. Hansoframea.

SExennium totum est: metiri vt liceat more hîc tempora, Iambici Misti.
Vbi tempora non sunt, eo, quo inter mortales sueti olim sumus:
Sexennium, inquam, totum: ex quo huc commigraui, corpusculo è
Terrestri, vita illa defunctus: & video facioq; indies,
Animoq; & captu nostro angustiora multò maxume.
Nec me videre facinus contigit vnquam indignius,
Ac hodie vidi illud, tibi quod memoraui modo.
Te. Ita me Christus benè amet, indignum facinus & malum.
Han. Næ medius fidius Hansoframea, tibi hoc interitur: tibi
Hoc exedundum erit, ni prospicis tibi tempori.
Phi. Quod si ego perpetior, neq; desero, procerum in memet sententias
Formido: si profero, vitæ eius metuo: nec clam forsitan
Potest haberi diu. Ha. sic est: accusatum te abit,
Hansoframea. Qui si è cœno se emersit præpostera

Illa

Illa ratione, aut illum laruarum plenissimum,
Aut me esse non catum oportuit, qui interpellauerim.
Ph. Quod si dissimulo ad tempus, & palam meo
Fit absq; indicio, mihi parata ipsi accusatio est.
Ha. Oh, hoccine cœlum est? hic paradisus? hic portus & hac anchora
Salutis? vbi formido est, & metus, & accusatio mutua.
Te. Rem uerò, vt sese habet, ipsam edisseris, Phidippe, nec
Aliquid in medium consuli quit aliud iam perfectius,
Quàm quod tu dicis. Ha: at vt te eradicent dij pessumum inferi
Consultorem. Te: quem ego nec nosse memini: & cognitum velim.
Nisi ille est, de quo paulo ante memorabam. Ph. is ipsus est.
Tenes hominem, quàm me. Te: credo: ita mores conueniunt, si leui
Saltem memoria repeto, voltum indignantem, aspectum procul.
Trucem, nutum improbum, statum compositum totum corporis
Ad improbandum quod agebatur. Ph. nempe cum pinum simul
Transuorsum cum collega baiulares isthac? Te: scilicet.
Ha: Isthuc mihi scilicet neutiquam placet. Te: ipsis adeo mihi,
Et oculis, & ore, & naso, & manibus, & ventre, atq; pedibus,

Clamare videbatur, & altè vociferari: heus, heus, baiuli,
Quid agitis? quidnam inceptatis, stolidi? haud sic condecet
Transuorsum portari: sic rectum est, hac decet via, hoc modo.
Ha. nebulonem, quam gestio transuorsum rapere atque pessundare:
Si foris esse obtingat. Ph: is est ipsus, non lactis lac similius 'st.
Verum ecce, quid mihi succurrit, dum commutamus hîc
Verba interim? Te: quid? cedo. Ph: isthunc ipsum dari obuiam
Optassim. Te: cur? Ph. vt cum ipso communicem prius:
Si forte in sententia non perseuerat: vt sciam.
Te: Optuma ratio est. Sed ellum istorsum ipsum mihi
Videor videre: nisi oculi mentiuntur, aut me decipit
Os hominis, visum antea. Ph. is ipsus 'st, ipsissumus.
Tu cede sis parumper aliò, ne aut impedimento mihi
Sies, aut ipsi terriculamento, dum aggredior, vt audiam.

SCENA IIII.

Phidippus, auriga. Hansoframea.

COllega, salue. Salui sumus. Ha: vt audio. Ph. erupimus, Septenarij.
Hem. Ha. video. Ph. euasimus, hui. Ha. aspicio. Ph. excessimus, papa.

Ha. Cre-

Ha. Credo. Ph. gaudemus oppido. Ha. conſilio cuius, niſi meo?

Ph. Gerræ, nugæ. Ha. meo quidem. Ph. caballorum & Dei.

Ha. At Dij caballos perduint, qui in diuorſum trahant

Currum: vt tui iſti, hærentes in cano, rurſum prorſum ope

Male afflixere mala: extractum dedere nullibi,

Scio. Ph. certo certius? Ha. opinor. Ph. opinatorē vide.

Quin certa res eſt. Ha. at qui poteſt? Ph. & factum eſt: & poteſt.

„ Nam quod tibi fieri non pote, Deo pote quàm facilume

Eum tu accuſaſti, vbi nos accuſaſti: vt ſis memor.

Ha: Egonè in Deum quicquam? qui ne auſus quidem ipſum, neq; volui.

Amentiam pro deridiculo habui, & præpoſterum

Voſtrum laborem: & iumentorum miſeritum eſt mala

Sortis, tam iniquè cum inſana opera conflictantium,

Dementia voſtra. Ph. iudicium ſapiens. Ha: age capio

Teſtes mihi. Ph. quos lubet. Ha. vos ego populares inuoco:

Vos mecum volo putare rationem arbitrariam,

Senſu è communi. Ph. ſenſu è communi? hem, demum venis?

Malè tu, me Chriſte, cōllineas. Ha. egon'? Ph. tu: ſiquidem

Altero tibi conniuendum eſt oculo, vt cernas acutius.

Ha. Acutius vno quam gemino? nunquam vidi magis

Senſum omnem euortier. Ph. nihil huic hîc eſt ſenſui loci.

Ha. Quid

Ha. Quid? non? adeon' ab omni abhorrendum sensu est? Ph. ita.
Ha. Obsecro, ciues: quid est, si non hæc est insania?
E luto plaustrum extrahere, iumentis retro anteq́ʒ,
Actis misere? Ph. vt hæret. Miseret me tui. Sed ne tibi
Simplicitas sit fraudi tua, en optume adsunt arbitri,
Quibus me submitto: etsi iniuria: quandoquidem
Res mecum stat: nec tibi facit satis experientia,
Tamen hi discernant dabo. Tu victus hos scilicet audias,
Necesse erit. Ha. quin ego abeo: litigare haud est meū,
Iis arbitris, aduorsos animo quos scio meo.
Qui de composito nunc adsunt: quasi intelligere sit
Difficile, quas technas struant: inuenta causa sit,
Credo, qua me hinc veteratores eijciant miserum foras.

SCENA V.

Phidippus. Petrus. Paulus.

SAlutem perpetuam, viri optumates cœli principes, Iambici octonarij
Vos gratulabar adesse in tempore mihi. Pet. quiduero iurgij est?
Ph. Decebat, & fas erat (fateor) paradisi indigetes, & ocij
studium colere, & pacis amantes esse, & concordiam sequi.
Vt ne quid his interuenire acerbi posset gaudijs.
Idq́ʒ hactenus, quantum potuit, egregiè præstitum est satis.
Nunc iam hodie, nescio quis, introductus quadrigarius

Importunus turbat: ioconé an serio, id non explico.
Pet. Quamobrem autem? quæ controuersia est? nam rixas hinc procul
Exaudiuimus aduentantes. Ph. ego pro consuetudine
Mea, plaustrum agere forte: dum ille interuenit: & morosius
In me animaduortit: id quod ego recte factum defendere:
Ille contra arguere, & secus ac factum oportuit criminarier.
Pa. Vt dixti, Petre, euenit. Pet. Et iam porro, vt prædixi eueniet.
Nam quid loci ignoscentiæ est? cui interminatum est serio
Bis terq; : vbi si spes sit resipiscentiæ, cur nequiter
Conspectum fugeret ad nostrum illico? Pa. fecisse dispudet,
Credo, & factum nollet. Ph. nollet? & importunius adhuc magis
Defendit argutando ille: & suæ testes causæ vocat:
Sensumq; communem laudat. Pet. sensum vero? Ph. sensum inquio.
Nec ipsi mihi contra experientiam narranti, habet fidem.
Pet: O paradisi hospitem, barathro dignum. Pa. rudis vt est Dei,
Et imperitior rerum, ita monendus familiariter.
Si forte Christus eum exulare non permittat: vt bonus est,
Omnium opinione citius. Pet. res loquetur, vbi senatus
S see

Sese aperiet coram nostro. Heus puer, senatum conuoca.
Pu. Fiet. Pa. Tu Phidippe, vt sis praesto, si opus sit, ne ieris longius.

SCENA VI.

Paulus. Petrus.

QVae vere conuenti ratio est, Petre, quam aiebas modo: Septenarij.
Narra iterum. Pet. faciam, vt percipias & intelligas probe.
Ingenium fuit hominis, quale tibi narraui antea.
Nihil in terris quicquam vt probaret: optuma omnia
In peius raperet: Sal nigrum cunctis aspergeret
Rebus: quemuis carperet: vsque in cuncta animaduorteret
Audaciter: aliena in omnia inquirere, sua
Putaret interesse eum primis. Pa. Memini adeo hoc.
Quid amplius? Pe. nunc quo modo sese intro huc tetulerit,
Nostin? Pa. nihil minus. Pet. Tantundem ego quoque: scire ne
Ex me aueas. Pa. Sed de conuento quid? quod percontor. Pe. hem,
Accipe. Qua hora cunque aut quo die deprensus sit, secus
Interpretari quid, quam placide & bene: fidem dedit,
Hinc exulatum sponte iturum vltro celerrume.
Nec causam dicturum, aut moraturum sententiam
Iudicij vllius. Pa. sat pactum est. Pet. verum haud stabit, scio.

C Pa. Fi-

Pa. Fidei parum habes. At enimuero, precatorem sibi
Si quærat: seruandũ non censes? *Pet.* nisi Christus vel
Seruatum, quis seruet alius? *Pa.* sed hoc volo: omnia
„ Prius experier oportere, quam sententiæ
„ Acerbitate. *Pet.* ipsus se damnat: ipsus exterminat.
Pa. Intellego: at seruare magis quam perdere conueni
Nobis quidem: qui Christi, qui mitis, clemens, bonus st
Et æquus, æmuli sumus. *Pet.* at hoc confidentiæ
Stabulum non exigi? turbantemq; omnia perpeti?
Pa. Ita sane; verum vt ne summo vsq; iure semper iu
Quod maxuma sæpe iniuria est.
Pet. Tonitru sumus quasi filij, si meministi. *Pa.* scio.
„ Et hoc memini scribere me: oportere moneri, argui,
„ Reprendi, commodo in loco, iuxtà ac incommodo,
„ Verum patienter vbiq;, & haud sine mansuetudine:
Eos præsertim, pro quibus mortem Christus oppetijt.
Sed & iudicium Domini iudicamus, arbitri
Mitissimi: nostrarum rerum ne quid hîc agier
Putemus: quibus eadem lenitate opus fuit.
Pet. Sane. De quo intus porro agendi locus erit ampliter,
Vbi senatum conuocassimus iam curiæ.
Ego eo præ: tu sequitor. *Pa.* sequor.

ACTVS III.

SCENA I.

Maria Magdalena. Sostrata.

Audiui

AVdiui. mea tu, & prob audio, marito, Trochaici Trime. acatalec.
Quæ dudum veritæ sumus, nimis euenisse
Imprudenti celeriter tuo. Cui profectò,
Vt debeo, cupio bene: & ita mihi quæ opto, cuncta
Prosperè contingant, vt studeo iuuare:
Quod petis, ille modo bene vt audiat monentem.
Sost. Faciet, ne dubita, præsente malo coactus.
Ma. Sed vbi quæram? So. ipse obuiam, credo, exhibebit,
Rebus adiutor Deus in dubijs fidelis.
Ma. Ellum: Christus fortunat. Tu præstolare
Me interea domi: quoad effectum reporto.

SCENA II.

Hansoframea. Magdalena.

NOn dubium est, quin vxor, quæ sunt gesta, pridem Trochaici Senar. Septena. Octona.
Resciuerit: & huius ergo fœminam nunc
Ablegarit: vt est curiosa satis superq;.
Mag. Te, frater, teipsum quærebam. Ha. quid negocij?
Mag. Primum id te obtestor, quicquid huius facio, vt ne me
Caussa facere mea putes. Nihil hic, nisi pudicum,
Castum & candidum decet mancis inter beatos
Perpetrarier, & de perpetrante suspicari.
Ha. Principium conuenit. Ambages mitte: dic, quid oras.
Mag. Id quod in tuam rem maxumopere, & salutem
Hic tuam est æternam: si me audire non recuses.

Ha. Audio: rem fabulare: circuitionibus abstineto.
Ma. Quando nuper aduentus adeo huc est tuus: quem gratulamur.
Ha. Habeo gratiam. Ma. Etsi vituperarier audimus. Ha. Quid istuc?
Ma. Quia clam sanctos factus eos, quos custodia penes'st beatæ
Sedis. Ha. Egon' sanctos morer? Ma. quid ni? Ha. apage à me sis homuncionis
Sanctitatem: assertricem hanc nullam noui. Ma. quid ergo?
Num non ij receptant, Christi testimonio vel ipso?
Ha. Ego te quis receptet, non percontor. Ipse me receptet
Christus, volo. Ma. sed cum sanctorum testimonio: quod
Neglegere te nunc, periculosum est. Ha. Men' calui inuidentia
Vnius excludi? cui testimonia suppeditant piorum
Aliorum plurima. M. quorum? Ha. miserorum, pauperum, egentum,
Fame, siti, inopia rerum omnium afflictissumorum:
Quibus & feci, & facio bene: quos testes do: quibus per orbem
Fretus ergo receptatoribus, ausus huc intro pedem sum
Ferre. Ma. age, missa hæc facio. Verum, vt eò, vnde abij, reuortar:
Quando nuper aduentus adeo huc est tuus, vt haud cuiquam
Esse mirum poßiet, si quid designatum est, præterquã
Dignitas nostra, & loci te adhortatur beatitudo

Huiusce

Huiusce: id ego te per Christum, & per tuam salutem
Oro, obtestor, obsecro, agnoscas & deprecere.
Ha. Tua quid isthæc autem percontatio, curiosa, est?
Ma. Et amor me & pietas iubent, & lex communitatis huius
Integerruma, vt mihi quod est boni, id omnibus benigne
Impertitum concupiscam: hæc hic vita, hic mos, hæc consuetudo est.
Ha. Apage sis hanc legem: tu si meretrix sis, idem velis omnes
Esse? aut quasi meretrix bene quid possiet monere.
Mag. Hau, noli: optabiliora his, frater, loquere. Ha. an non tu meretrix
Fuisti? Mag. Quod fuimus, mittamus: & quod nunc sumus, putemus.
Ha. Eia vero, lupa quod egit, mittam: in meq; solum
Inquiri miserum sinam. Mag. neq; ego, ita meq; teq;
Christus amet, inquiro. Ha. at exprobras. Mag. neq; istuc
Sane. Ha. enimuero traducis, dum palam molesta es, Scortum.
In quam ego credo furias inuasisse haud denuo illas
Pristinas septem, sed deteriores illis septingecuplo,
Septies septingentas alias: quæ in me te stimulant furentem.
Ma. Non potest fieri, vt me animi adigas ad impotentiam,
Quantumuis dicas malè. Namq; me nefanda,
Turpia, flagitiosa, pœnitenda designasse quondam

 Plurima,

Hæc dormienti, ignaue? Ha. quid? quin tute se
Pergis amolirier: cui responsum sat puto.
Non sum vacuus, ad te altercantem diutius
Audiendum. Lat. fac sis ergo vt memineris, datum
A me effectum, quod debuit: ne postmodum
Culpa hæreat in me tua. Ha. quid isthuc autem mea?
Abijt: quem perduaxint ante, quam ad patres
Rebitet domum, intemperiæ inter eundum illico:
Vt ne responsum ex me habeant, quod vortat male.
Atqui vos hic mihi spectate iniuriam,
Amabo: non in crimen isthæc vocarier?
Age sino? non crimen dicam: sed criminis
In suspicionem duntaxat? ego ob verbulum
Actus reus, à prædone famosissumo
In vis vocor: quem terrestris seueritas
Fori, incolumem passa inter homines non fuit,
Immanitatem propter, vitam degere:
Nunc hunc maneis indigites inter, curia
Cœlestis patitur cum imperio vorsarier.
Indignum facinus, iudicio si arcessit virum
Latro bonum. O fas, ô ius, ô cœlum. ô mare,
O generis terra humani: quam me dispudet
Vostri, meiq́ue? Iuuat exulare, vbi ius exulat.

ACTVS IIII.

SCENA II.

Petrus. Moses. Latro apparitor.

ITané, vt ais, insanit? La. ita. Pe. & vltro non lacessere

Probris

Probris veretur? La. etiam. Pe. nec ſenatus metuere
Autoritatem dignátur, odium? La. nihil minus.
Pe. Portentum hominis. Quid cenſes? Mo. extermi-nandum funditus
Cœlo terraq́ue: de ſenatuſconſulti notiis
Decretis: & ſi fieri pote quid ſeuerius.
Pe. Valere decet autoritatem præſidum:
Vt improbitatem animaduortatur in nefariam: „
Et à crudelitate vt vindicetur ſanctitas: „
Retundaturq́ue deniq́ue imperitorum importunitas. „
Mo. Verò. Nam quid tanta intolerabilius petulantia? „
Dei contemtrice ac hominum, atq́ue æqui iuxta & boni?
Quam ego Dei ex præſcripto euelli, eradicari ſtirpi-tus,
Iubeo, mando, impero, cum ſobole, ad vſque tertium
Quartumq́ue & amplius nepotem immiſericorditer.
Pe. Quid nunc obſtat, ſenatuſconſultum quò cogno-ſcat minus?
Mo. Heus tu, Zachæum mancupem voca illico.
Dic, nos ſe hîc opperirier ambos: ne terat moram.
La. Factum dabo. Mo. ita vt decretum eſt, exequi man-dabitur:
Vt ſolis ante occaſum hinc exulet: ni pareat,
Miſer perpetuò ſiet. Pet. vt pareat metuo: ſi adhuc ſa-tis
Perſpexi. Mo. eſt qui malo cogatur, ſi bono adigi non poteſt.
Pet. Quid ſi præfractus ad tribunal Chriſti prouocet?
Mo. In medio poſitum eſt. Sed Zachæus ipſe adeſt.

SCENA II.

Zachæus. Petrus. Moyses.

Vt præce dentes verius Iambici Mili.

ADſum, vt iuſſiſtis. Imperate, in me nulla eſt mora
Pe. Id, quod ſenatus decreuit noſter modo,
Tenes né? Za. teneo: de Hanſoframea: Vt exulet.
Pet. Iſtucipſum. Za. in memoria habeo. Pet. id nunc exequi
Per te placitum eſt. Za. operam dico, quantum queo, meam.
Pe. Tu illi, ne quid forte erret, iudicum ſententiam
Explana denuo, Moyſes, atq; explica dilucide.
Mo. Quandoquidem Hanſoframea quadrigarius,
Tranquillus inter mancus viuere cælitum
Beatos non potuit: fidemq; fregit: &
Conditione data vſus non eſt: (nam cætera,
De eius furtiuo ingreſſu, & peruicacia
Contemtus curiæ ac ſenatus principum,
Mittuntur) ergo abſq; omni controuerſia,
Diei ante obitum ſedibus his expellitor:
Ac finibus harum ei in æternum interdicitor.
Tantum eſt: vt hic codicillus habet: quem tu cape, vt facias fidem.
Za. Si audire nolit? Mo. cogitor, conſtringitor.
Za. Quî potero? ſolus, & tantillus, quadruplo
Maiorem? robore valido, lateribus gladiatoriis?
Mo. Hic apparitor eſto ſtater tibi præſentarius:
Qui nutum obſeruans tuum, & illunc perterritet,
Et tibi animum addat. Lat. hem præſto eſt: fortē dabo.
Za. Age eo, tu ſequere ad ædeis me eius ſtrenue.

SCE-

SCENA III.

Zachæus. Latro apparitor. Hansoframea.

Heus, heus, numquis domi est? Lat. actutum aperi, ni vis malum.

Dari magnum foribus. Ha. quis (malum) homo est? Za. huc adesto Lat. exito dum.

Ha. Num nam pax omnis hodie iam nunc intermortua est?

Ne me intra meos securum parietes vitam colere sinas.

Za. Ita facto opus est: sententiam vt Dei Patris de te audias.

Ha. Quid ais? heu, qua spe exij, miser? Za. huc attende sis

Animum. Ha. quò me vortam infelix? hercle auspicio sinistum ô

Huc intrò accessi. Za. sic decretum est in cælesti curia:

Quandoquidem Hansoframea quadrigarius,

Tranquillus inter maneis viuere cælitum

Beatos non potuit: fidemq; fregit, &

Conditione datæ vsus non est (nam cætera,

De eius furtiuo ingressu, & peruicacia

Contemtus curiæ ac senatus principum,

Mittuntur) ergo absq; omni controuersia,

Diei ante obitum sedibus his expellitor:

Ac finibus harum ei in æternum interdicitor.

Ha. Heu me profligatumq; perditumq;. Za. huic tu sententiæ

Vt pareas, idcirco missi ad te sumus.

Iambici quales proximi misti.

Ha. De-

Ha. Deliberandi ſpacium poſtulo. La. deliberandi, eho?
Ha. Ne præcipiti iudicio, præter omne ius, fasq́ꝫ pereā.
Za. Deliberatum dudum eſt ſatis. Ha. hei quid ago?
dieculam addite.
Za. Decretum eſt, iudicatum eſt: ſtat ſententia.
Ha. Atat: Fidem fregi: fidem quam? Za. oblitus ne hem ſalſam fidem?
Conditionis numnam immemor es de cenſura & calumnijs?
Ha. Quid hoc calumniæ eſt, errantem commonefacere?
In ea præſertim, quam didiceris, arte, & quam tu noueris?
Za. Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc vitam, quæ hic viuitur.
Sed altercandi gratia huc non venimus.
Lat. Quin eijcimus cunctantem? Ha. conſilij pectus friget inopia.
Za. Verum in aperto eſt facinus: cuius modo pœnam, de curiæ
Decreto accepiſti. Ha. ſi cui ſuppetit, obſecro vos, mei,
Subijcite quæſo actutum aliquis conſilium de repente mihi.
Za. Nunc ſi pares, bene eſt: ſin minus, vt ſis ſciens, acerbius
Multo poſt auferes. Ha. atat, obtundor. Lat. quid conterimus operam?
Ha. Verum periclum faciundum in extremis eſt: facesſite
Hinc metus & pudor: audendum eſt: audentem fors fortuna adiuuat.

Zach.

Zach. Audin' tu ? Lat. animum recolligit scelerosum, flagrio.
Ha. Quid tu secundo me ludificas, patibulatus carnufex?
Quem si antea incolumem dimisi, vlciscar, si perrexerit
Molestus esse, nunc probe. Za. ministrum principum?
Ha. Ita. Za. & Christi? Ha. ita. Za. & indigetum? Ha. ita: & te mancupem, strygem,
Expilatorem, furem, quadrifurem publicum,
Argentifurem, aurifurem, orbis populatorem & vrbium.
Za. Caue dicere male sanctis manibus? nescis, ego qui siem.
Ha. Ego te nescio? qui sis, & qui fueris, memini memoriter.
Za. Ego hospes ille Christi: cui salutifer gnatus Dei
Conuiua dignatus 'st esse domi: Ha. ha ha hæ: conuiua? cui
Si obtigerit, ego gratis omni de vectura cõmodauerim
Lubens vsq;, vehendo ac reuehendo hac illac absq; molestia,
Vel cum periculo ac incommodo meo insigni ipsius.
Ne tu mihi conuiuiũ narres. Za. Tun' vexis gratis? aut
Tecum ille? Ha. vehamq;, feramq;, geramq; ego. Za. Christophore. Ha. ego
Christophorus: tu Christophorus: Lat. ah, canem
Irritamus. Ha. tibi nummus Christus, nummus religio,
Nummus fides. Lat. cur patere? ferendo quem lacessis. Ha. Oh pudet

Tui me

,, Tui me pigetq́; Za. deglutiendæ, haud manducandæ iniuriæ

,, Sunt, inquiunt, vii pilulæ. Ha. num mentior Ciſtophore? Za. Nunc

,, Sæuiat in nos ſine. Lenior ſolet fieri tempeſtas, vbi

Detonuit. Ha. & contrà maledicis? vah ſcelus,

Vt iam nunc allio oboles fœdius,

Rapinas, furta, iniurias, periuria, falſificas literas,

Fraudes, dolos, mendacia, lucra, vſuras, fœnora.

Quantulus quantulus es, auaritia es: quæ in hominem & virum euadere

Te non permiſit: homuli ſemiſsis. Za. vtut ſum & fui:

Tamen paradiſi ſum, Chriſti bonitate & gratia, incola.

Tu iam iamq́; extirpabere. Ha. hoc tibi ſiet,

Qui deglubendo, defraudandoq́; inopiam

Miſerorum, his meritus ſcilicet es gaudijs frui.

Za. Si quid rapui, ſi cui impoſui fraude ac dolo, lui quadruplo

Lubens, perſolui ac reddidi ſponte id mea: omnes insuper

Diuiduas fortunas feci, impertijq́; egentibus meas.

Ha. Hem liberalitatem: & hem genus beneficentiæ

Commemorabile: Coria clepſit manticularius: gratis dedit

Calceos, pietatis ergo, religioſulus. Lat. ſurdo fabulam

Narramus. Za. Eamus igitur? Lat. iamdudum id ago. Ha. vicimus:

Labaſcunt maſtigiæ: Ne me attingas propius, caue:

Noui

Noui tuos istos Harpyæ vngues, Polypi magis
Flagellis, aut glutine tenaceis auelli non queunt:
Cutem cum carne, ad vsq, ossa & medullas, diripiunt simul.
Za. Calumnijs quidem vincimur, & saui dictis dictis tuis:
Quibus tecum contendere nobis non est integrum.
Ideoq; gestam rem ad senatum & curiam referimus.

SCENA IIII.

Hansoframea.

ITe, abite, semiuiri fures, latrones, Trochai. senarij.
Hansoframeæ audaciam alijs nunciate.
Dicite, qui volet, lacessat, pungat, vrat.
Nunc mihi fortunam propicium nullus opto
Deinceps: audaciæ satis est: hac aut peribo,
Aut superero: nec mihi consilium venire
In mentem potuit, proclиuius ad salutem.

SCENA V.

Petrus. Paulus. Hansoframea.

FOrtis sis, Paule, & officij memor, tuiq; pristini Ingenij. Ego hic ero succenturiatus: vt, si res ferat, Iambici Senarij, Septenarij, Octonarij, Acatalect.
Succurram. Pa. age, ipsus est: aggredior. Salue amicule.
Ha. Et tu vicissim salueto barbatule. Quid portas boni?

Pa. Et

Pa. Et gratiam & pacem, si bene mereris, à Christo
& Deo.
Ha. Si mereor? & tu quid mereris omnium?
Pa. Conuicium ne facito: rem accipe. Ha. si bona sit,
si æqua: sin secus,
Tam mihi facile in te erit dicere, quàm in me tibi.
Pa. Principio non negas, quod à te peccatum est: id.
Ha. oh tibi
Ego rationem reddo, an tu mihi? quid est, quod ipsemet
Te iugulas doctor? Pa. amabo ausculta. Ha. quin tu
mihi quoq;
Ausculta amabo. Pa. ausculto, si auscultassis tu prior
mihi.
Ha. Mihi tu quidem. Nam quid velis intelligo. Pa. sa-
ne arbitror.
Ha. Quare obtundis miserum, vt eadem cantilena me
enices?
Te vero vt dixi iugulas? Pa. quid ita? Ha. quia moni-
tis non stas tuis,
Aliũ doces: teipsum non doces. Pa. quid somnias? H. tua
Somnia: numnè agnoscis? cæcorum dux, vorsantium
In tenebris facula, infantium magister, insipientium
Præceptor, enucleator ad amussim legis Dei.
Pa. Quorsum isthæc attinent autem? Ha. quoniam qui
me venis
Accusatum. Pa. ego te vero nego. Ha. eho, an non venis?
Pa. Nego: quem lex accusat: quem magistratus, quem
propria
Adprime culpa. Ha. vah, tu administer, non accusas
scilicet?

Qui

Qui si te videas, aut si cogites, quæ feceris.
Qualem præbueris: quiduis faceres potius, vt
Ne me accusares. Pa. atqui insciens feci. Ha. neq; ego sciens & volens.
Pa. Ego rudis fidei: tu paradisi iam ciuis & incola.
Ha. Quid isthuc? vilem homuncionem ego reprehendi: tu filium
Ipsum Dei, non verbis solum insectatus & conuicijs,
Sed ferro persecutus es, & flagris & carcere.
Pa. At veniam iam diu dedit facilitate & clementia.
Sua benignissimus. Ha. exempla postquam in te adidit
Inusitata, tonitru & fulmine. Pet. nimis conniueo diu.
Ha. Quæso mihi palum exime tuo de pectore, si potes,
Maligne, & in meum, si audes, cor insere.

SCENA VI.

Petrus. Hansoframea. Paulus.

ITan' præfracte oportuit? per crimen immigrasti, odium
Per facinus hic commoratus es: per scelus vixisti antedhac:
Et viuis: ac per flagitium deniq; manes ludos facis
Omneis beatos, indigetesq; mactas infortunio.
Ha. Ehem, silicernium. Pet. tibi impero: pareas, cedas, exules.
Ha. Caluaster, quid ais? Pet. tibi dico, edico, cœlo interdico. Ha. vah
Tun' ille iste gladiator strenuus? amputator aurium?
Fortis propugnator domini, vsq; ad ancillas & focum?

Pet. Tun' ille iste euersor cœli, turbator manium?
Dei contemptor, & derisor numinis?
Nec te exturbet, qui genios, te multis olim modis
2. Pet. 2. Augustiores exturbauit, quòd peccauerant?
Ha. Heus tu princeps apostolorum, vt perhibent scilicet,
Dic mihi, & edissere palam: non tu isthic homo es,
Qui Satan audiebas à Domino, & scandalum?
Turpemq; repulsam qui sapientia ferebas cum tua?
Non tu ille autem discipulorum multo perfidiosissumus:
Qui vitæ extremo in discrimine magistrum per fugã
Solum tuum destituebas? tantumq; non
Transire ad hosteis parricidas fueras postea
Paratus? Pet. ego si quid titubatum à me est, id pœnitens
Mutaui: mutatum non repetij: tu peruicax
Pugnas porro monentibus, atq; perseueras in flagitio.
Ha. Pergin' maledicere apostata? triperfide, periure: dignior,
Tua ipsius sententia, patibulo, quam Iudas proditor.
Pet. Obtutui filij Dei ea habenda est gratia, placido & bono.
Ha. Ergo missum me face: Nec idem me repudiatum volet.
1. Pet. 1. Nam respectum Deus non habet viri. Ego tuq; ei
Perinde sumus. Etsi tu illud habes: Domine, Domine,
Nonné in nomine tuo? Ego nihil, nisi miserum miserescito.
Pet. Calumnijs obtundis. Ha. vbi vero claues, quos iactitas,
Regni

Regni cœlorum? Euge age, fac sis promas, quo me exclusum duis,
Clauem: vbi porro alter ille, quo conclusum opertuit
Magis huc multo comiter? hunc metuis vtier: illunc scilicet
Expromtum actutum habes: At tu quomodo immigrasti clauiger?
Cedo claueis. Quem ego ne verbula digner precario
Ad introëundum vno. Ego Christi fisus bonitate & gratia
Immigraui. Hanc veneror solum: huic soli habeo gratiam.
Qui me & passus est intrare, & nunc intus me esse patitur.
At tu mihi cogita illud verbulum vetus:
" Quod numinis fauor impertit cuipiam Dei,
" Petri inuidentia non rapit.
Quin tu isthunc castigas, Paule? & rursum in viam
Denuo reducis schismaticum, veteratorem sycophanticum?
Vt Antiochiæ quondam. Eia, obtumescis? edomiti virum: Galat. 2.
Iugulaui: demittit supercilium. Scin', quem prouocaueris?
Lacesse me, si fortis es, postea etiam nunc amplius.

Pa. Laterem lauamus, Petre. Pet. pecus est, brutum est, bestia, bellua,
Ad lanienam natus atque eductus, ad laqueum, ad venabulum,
Ad perniciem atque internecionem pessumam. 2. Pet. 2.

Non intellecta crimini ducit, probroq́ꝫ: nemini
Dicto audiens: iturus pessum pestilitate cum sua.
Itaqꝫ ergo suum capiet tandem ex iniusticia fructum sua.

SCENA VII.

Hansoframea.

QVis me nunc hominum beatior? quis indigetum magis
Hansoframea incolumis? propè quem cœlum ipsum modo
Territabat: hem, tripudiat. Omnes fusi turpiter
Et fugati, terga vertunt: scorta, latrones, stryges,
Apostoliq́ꝫ apostatæ. Nunc si cui est in pectore
Audacia, age, irritet contrà: depexum dabo
Equidem, & ita depalmatum, vt prælij huius & certaminis
In perpetuum meminerit, sitq́ꝫ infortunatus diu.
Nullus est? sapistis. Namqꝫ nunc pro certo habeo, fore,
Vltro supplicatum vt ad me veniant indigetes simul:
Noxiamq́ꝫ deprecentur: & offensum placent: & vt
Mea opera in beatorum gregem recepti denuo,
Saltem aliqua hæreant ex parte in Paradiso apud me, supplicent.
Quod dum fiat, interibi me huc recipio, hunc in angulum:
Quò me & ex conflictu reficiam, & videam pugnæ exitum.

ACTVS

ACTVS V.

SCENA I.

Moyſes. Lorarij. Hanſoframea.

Hic me opperimini, vt ad nutum ſitis præſto actutum mihi. Iambici
Vbi ille eſt Pharao Paradiſius, omneis qui ludos facit
Cœlites indigetes? Faxo gurges illunc ſorbeat maris.
Ha. Hui, fulmina de improuiſo. Qui vir eſt? Sodes vide,
Minax, cornutus: irarum ſeges. Mo. ten' quærito?
Ha. Si dixeris, ſcibo. Mo. tu ſi iſtic furioſus es, paradiſi
Turbator ocij. Han: Egóne, an tu, cornute perturbo magis?
Mo. An exprobras? virtutes ipſemet proclamitas tuas.
Han. Crobyli iugum: tu melior an ego? tuas virtutes ediſſere.
Mo. Nihil attinet: Ego in mandatis quod habeo, id exequor.
Facinora palam ſunt tua: quæ propter exulare iuſſus es
Dudum: id nunc adſum, vt te cogam. Ha. túne mihi vt imperes?
Quid commerui, tuis abominandum flagicijs magis?
Mo. Vt altius repetam: quando geſta hic eludis omnia:
Enim fuiſti auriga in terris Dardanarius,
Annonæ flagrum. Ha. quid tum poſtea? Mo. cui neq;
In caritate Deus, neq; vtilitate ſe probauerit

Vnquam. Ha. ne quid nimis. Mo. cuius corpusq́; & succus, sanguis est

Sudorq́; pauperum: Sagina equorum, res, opes,

Domus & liberi abiectiorum & vilium.

Taceo conuicia in Deum cotidiana, & contumelias:

Quibus nihil aurigariorum generi est familiarius.

Qui sanè, vt vulgo aiunt, absq; eo foret, cœlum è vestigio

Peterent beati. Ha. men' tu deprehendisti secus vnquam ac probum?

Mo. Toties, quoties numerare non est: sæpe vt numero cœlitus

Optauerim, fulmine præcipitem te dare, præ impatientia.

Ha. Eho: an tu fulmen geris? an non præcipitem tute te

Dedisti, in caute feriunda meticulose? Mo. tua autem quid hanc

Rem percontatio est? Ha. nihil. Sed quam quæso diu

Pollicitam vobis terram incoluisti? hoc saltem memora mihi.

Quam vix videre contigit eminus tibi. Taces?

Lac vero illud quid sapit? & mella quid? tenes?

Mo. Derides, more tuo. Nihil tamen agis. Ha. plurimum.

Vbi vero sepulcrum est tuum? vbi tumulus? Ignorarier

Qui meritus es potius, quàm cum ignominia prodi posteris.

Mihi iusta peracta sunt, funusq́; quam honorificentissimum. Mo. Lo-

Mo. Lorarij, adeste: os comprimite, linguam execato dum.

Ha. At ego veto, interminor: ad me ne quis adeat prope.

Mo. Quadrupedem pensilem constringite. Ha. enim ego non sino.

Mo. Mox reueniam huc cito. Ha. caues tibi: sic sapis. At vos ego

Disperduim cruces, mastigiæ: nisi vos hinc celerrume

Properatis amolirier: carnuficum propudia.

Lor. Quid agimus? Ha. furum proluuies. Lo. si fugimus, pone in nos metuo,

Ne se inferat rabies. Ha. fugitis an non? Lor. retrò cedimus

Sensim? Ha. Fugite hinc: aut vos ego conijcio in pedes.

Lo. Fugio, si fugis hinc. Lo. fugio. Ha. eia age, noctambuli,

Fugite, auolate carceres. Atat exit rursum corniger.

SCENA II.

Moyses. Innocentium grex..

QVid hoc turbarum est? diffugiunt lorarij. Proh hem dolor.

Viros neglexit: abegit vetulos: vortit iuuenes in fugam.

Puerulos audiat? Non sit verisimile. Attamen

Fiat periculum oportet. Quid, si Christus hoc velit modo?

Exite, egredimini filioli amabo: sanguis ô recens

Atq; tener mundi, paradisi delicium: flos, mel lacteum

Cœli: tyranni Idumæi cruciamenta: nunquam in posterum
Quicquam, nisi dulce perpessuri, suaue, mite, optabile.
Mactæ pietate animulæ: inuadite, vincite, pellite.
Ego hîc vos interim opperibor, tutor & pater.

SCENA III.

Hansoframea. Innocentium grex. Moyses.

ENimuero ego perij, interij: nisi mox fugam
Capesso. Mo. insequimini, insequimini strenuè.
Ha. Date viam: concedite populares: GR. obsistite,
Obsistite contrà, obsistite. Ha. quæso sinite. GR. tenete: astringite.
Ha. Quin ego me dedo. GR. excipite. Ha. quin ego pareo.
GR. Ne mittite: impedite. Ha. nunc tu me Christe sis expedi.
GR. Comprehendere: quid fugis? Ha. non fugio. GR. sta, resiste. Ha. da
Consilium celere Deus. GR. resistit, hem. Ha. bene est: habeo.
GR. Resistis? Ha. defessus sum satis, amabiles mihi:
Amabiles hodie mihi deliciæ pueri: quid dabo?
Quid dabo? quid largiar? quid impertibor ob meis
Boni? ô oscula mollicella: ô corcula delicatula.
Agite, experibor, quid possum, et quid pote crumenula,
Amygdaligerula, passuligerula, Crustuligerula.
GR. Mihi poma, mihi pyra: mihi nuces: mihi zaccharum: mihi amygdala,

Mihi

Mihi passulas, mihi ficus, mihi liba, mihi crustula.
Ha. Agite animulæ meæ, deliciolæ meæ, facetiolæ meæ,
Pandite palmulas: pandite sinulos: pandite gremicula, pandite
Laciniolas: capite: excipite: dispertimini: abunde dabo.
Mo. Sycophanta, facta infecta reddet nobis omnia.
Consilia disturbabit, disiicietq; funditus.
Ha. Nunc in campum foras deducam vos amænulum,
Ridentem: amygdalis, cydonijs, citreis, vuulis,
Vberulum satis: ambrosia plenulum & nectare.
Mo. Persuadet verbero blandiloquentia. Ha. quibus ibi fruemini
Blanditijs, ioculis, lusibus? Gr. Euax, euoe, io, io, iubila.
Ha. Ibi floribus deliciemur: & auicularum minurritionibus
Iocundemur, querulis, molliculis, blandulis.
Inde arbusculas gemmeolas, purpureolas, aureolas scandimus:
Et pomula, & pyrula, & ficulos, & nuculas, & auellanulas,
Castaneolasq;, prunulaq;, cerasaq;, mespilaq; indidem,
Decutimus, decerpimus, auellimus, legimus. Gr. quàm mox viam
Inimus? Ha. agite hinc hilares quotquot estis, me omnes sequimini.

SCENA IIII.

Moyses.

VT video, sententijs excidimus curiæ: Senarij, Iambici
Ac vincit Hansoframeæ pertinacia.

Nunc, in quibus omnis ad extremum victoria
Posita atq; collocata fuerat deniq;,
Lusum abducuntur innocentium greges:
Inani lactati ipsius suauiloquio:
Et à causa seducti, gerere quam oportuit.
Alios terriculamentis & conuicijs,
Probrisq; reddidit inerteis planus suis.
In hos quia quod diceret habuit: innoxia
Infantulorum in pectora nil potuit male.
Aggrediundi ipsi alia igitur fuerunt via.
Tantam hominis ingenio innatam solertiam,
Ad flagitiumq; potius, quàm ad opus laudabile,
Exprompta m callide & expeditam audaciam?
Quo nunc quid sit futurum, nescio
Equidem: etsi pro æterna bonitate Deus sua,
Ignoscere etiamnum potest, si pœnitet.
Namq; aduorsum nos quod dictum ab eo est singulos,
Nullum dictum est, quod dictum haud verè & iure sit.

Quandoquidem, heu, tales fuimus quondam: licet
Sumus alij nunc, merito non nostro, sed Dei.
Tamen fuisse noxios, nemo potest
Nostrum ire inficias, ne sanctißimus quidem.
Vna omnium peccandi conditio fuit.
In vnam quod potuit, in hominem neminem
Dictu non procliue fuit. Id propterea ego,
Maneat, exeat, nullus curauero amplius.
Cuiuis per me licet illunc cœlo expellere.
Qui si Meßiam adhuc supplex appellitet,
Vicerit: mihi insimulare non sit integrum.

Ecce

Ecce autem de improuiso, curriculò aduenit
Auriga: nouané turbæ? aueo cognoscere.

SCENA V.

Phidippus. Moyses. Hansoframea.

PRoh fidem cœli, indigetumq́ue, maniumq́ue.
Mo. Heus Phidippe. Ph. quid viri est? Mo. resiste quæso.
Ph. Oh, tun' hic ades, optume? vt opportune. Mo. ehem quis
Insequitur? Ph. vah, Hansoframea est. Ha. mane, mane dum:
Qui (malum) me ex tranquillo in scopulum retrudis.
Mo. Quin expecta, Phidippe. Ha. in loco mihi & te
Tute offers Moyses. Mo. quiesce: pax. Ha. triuimpho.
Mo. Pax, tantum: quiescite, & tu & ille. Ha. ne me
Isthic interpellet, cui, scio, sum æquilibris.
Ph. Ne tu me execrari adhuc, collega, pergas.
Vt fecisti, & vt facis. Mo. sine: desinet iam.
Ha. Desino. Ph. & tu me missum facies deinceps?
Mo. Faciet. Ha. hem, malo doctus sapio. Ph. tibi ergo
Mentem gratulor meliorem contigisse.
Ha. Habeo gratiam. Mo. lætor: sed quomodo res acta est?
Ha. Benè, faustè, feliciter, bellè, optumatum
Sum primus. Mo. gaudeo: at quî? Ha. Quî, rogas? & tu quî?
Cum simillumus mei & tui? Christi ignoscentia.
Nunc iam tu, vt manes ac indigetes beati

Omnes

Omnes hoc sciant, curabis ergo. Mo. facto
Opus est. Eo. Ha. tu, vt ne addubites, collega, mecum
Illuc, vnde abij, reuortere, ad innocentum
Ludicra: hos testeis dabo: faciamq; ibidem
Ab animo vt simul nobiscum vnà ociosus,
Hunc diem, vt si quem alium, consumas beate.
Ph. Perplacet. Dispeream, si mihi non bene esse
Ex animo studeo. Ha. Vos plaudite & valete,
Spectatores: & Hansoframeæ gratulari
Fortunam suam certate. Ac ne quis harum
Rerum inscius erret, nunciate passim in orbe.
Hansoframeam paradiso frui, & valere,
Fruiturumq; lepide idoneos inter gregateis,
Collusores anniculosq; bimulosq;.
Nos abimus: Vos quando lubitum est cuiq;,
Et Deo visum, hoc propediem etiam applicate.

P L A V D I T E.

Errata sic corrigantur:

In præfat. vers. 13. pro cymba tranare peligna, lege, Peligna findere cymba. Act. 1. scen. 1. vers. 13. pro suo, lege, scio. Act. 2. scen. 6. vers. 20. pro experier, lege experirier. Act. 3. scen. 3. vers pen. pro concredius, lege concreduis. Scen. 4. vers. 35. pro uis, lege, ius. Act. 4. scen. 3. vers. 7. pro sin istum ô, lege sinistrumo.

F I N I S.

LIPSIÆ,

Imprimebat Georgius Defnerus.

ANNO,

M. D. LXXXI.

PT
1737
H35H3
1581a

Hayneccius, Martin
Hansoframea, sive
Momoscopus

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 01 16 05 012 2